



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

656









EPITHALAMIVM  
IN NVPTIAS  
NOBILIS ET EXCELLENTIS  
VIRI, B. IACOBI ARNOTTI SCOTI  
Medicinæ Doctoris peritissimi

24  
Nec non  
HONESTISSIMÆ ET PUDI-  
CISSIMÆ VIRGINIS DIANÆ  
SIENKIEWICIAE, IOSEPHI SIENKIE-  
wicij viri clarissimi & perillustris Ciuitatis Vilnensis  
Ciuis primarij, filiaæ Vilnæ cælebratas.

A

PATRICIO ABIRCRVM BEO  
SCOTO EIVSDEM SPONSI  
NEPOTE, GRATI ANIMI  
testificationis ergo, scriptur 82  
oblatum.

6

VILNAE,

Apud Ioannem Kartanum, Anno D. 1609.



# NVNCPATORIVM.

Orpheus Eurydiken sibi fædere iunxit ut arcto  
Connubij, est varijs dotibus auctus Hymen.

Certauere suo donaria pandere Vati

Auriuagæ volucres quadrupedumq; genus.  
Blandisoni memores meleos nemorisq; canori

Vectigal meritæ contribuere lyræ,  
Ipsæ etiam cautes choreas agitasse feruntur.

Dum Citharam genitor mouit Apollo suam,  
Ipsa etiam genitrix sacra connubialia Nati

Atq; suum ornauit Calliopea Nurum:  
Hæc sienkiewicjam tibi docte Iacobe Dianam:

Iure maritali lux Hymenæa iugat.  
Nulla tibi genitor, genitrix fert munera nulla

Hunc mors, hanc regio dissita ferre vetat  
Interea volucres tibi verno carmine plaudunt

Ac decorant epulum connubiale feræ  
Spontè tibi fundit reuarentia germina tellus:

Et florum varias dat Zephyritis opes.  
Experiens es ut Herbarum, Medice optime, vires

Se tuto in thalamum flos dat & herba tuum.  
Sed nec Apollo suo, tibi abest, medicator alumno;

Ilius nec abest casta Diana soror.

Ille fide Aonias mouet ad tua festa Camœnas.

Ad choreas Dryadum concitat ista chorum.

Laudis

XVII-656

Laudibus ille suum numerosis ornat aluminum.  
Carmine Dianam comit & illa suam.  
Neu de gente, domouie tua, nullum esse querare.  
Sume tui placidus tenue Nepotis opus.  
Tenue Nepotis opus, tamen in quo clara tuorum  
Mentio maiorum sit celebrisq; domus.  
Omnibus ut piaceam, ( tibi sat ) nec spero nec opto,  
Sors hæc Orphææ contigit vna lyræ.

## ARNODIA NEOGNAMICA.

Non Citherea canam laudatæ præmia formæ  
Laomedontæ iuueni data, plena pericli,  
Plena sed exitij, docuit velut exitus ingens  
Ingentis patriæ, Dotapum quæ passa decenne  
Obsidium; ruit excidio: concidit in ignes.  
Arte tuâ, tua Phœbe canam, placidissima dona,  
Stat quibus Arnottum tibi condecorare Iacobum,  
Morborum dominatrix, Phœbæ scientia clarum  
Quem facit in Lithauis, patriæ quas antehabet oris,  
Doctor hic Arnottus mihi carmen auunculus esto,  
Quamq; thori sociam sibi iungit eburna Diana  
Phœbe faue tua visa, tuâ dum pace rec ludo,  
Prie tua, teq; ore refert Arnottus honoro  
Nomine & oris honore tuam Diana sororem,  
Ver erat, ut Phœbus Phrixæo vellere fulgens,  
Vidit ab Acropoli vlnæ in vertice montis,

Regia

Regia magnifice renouata nitescere tecta;  
Tecta Polonorum Suecanorumq; Monarchæ  
Regificis reparata opibus; propè Delia fratrem  
Lassula venatum, Nymphis plaudentibus infra,  
Et faciles choreas melos & modulabile, sedit.  
Cuncta Gedrotiadæ vidi hæc e Præsulis aula,  
Seminij Samogitiacæ q; altrice iuuentæ,  
Vilnensi quam Vilna fluens dispexit ab arce,  
Vilna petens Viliam iunctæ cognominis vrbi.  
Multæ hic inter se vario sermone serebant,  
Virgo potens nemorum, medicorum & præses Apollo.  
Artificis canit illa manus, laudatq; fabrorum  
Ingenium, spolijs nemorum laterumq; paratu,  
Condere qui norint, & edaci tempora lapsa  
Arte pari norint reparare palatia regum,  
Præstare & quicquid terit inuidiosa vetustas.  
Phœbus adhæc : sunt hæc soror : est sua gloria fabris:  
Non tenuis : labor est operosus : & ipse laboris  
Ingens, qua patet hæc tellus habitabilis, usus.  
Coctilis est muri, nemoralis & arboris ingens  
Commoditas homini : nec ei lare & arce latenti  
Officit hostis atrox, nec obest iniuria cœli.  
Ars mea sed maior. Mea sunt inuenta sed omni  
Commodiora homini, quibus integrat ille salutem  
Tabe fatescentum, quibus & sibi prorogat æuum,

Mudens

Illudens auidis abrumpere licia Parcis.  
Scilicet est medicina meum coeleste repertum.  
Herbipotens opifer dico : medicæq; peritos  
Artis vbiq; viros Phœbeia corcula dico.  
Accumuloq; meæ cultoribus artis honorum,  
Qua pollens HOMINI DEVS est homo : muneris author  
Quo vix maius in orbe dabit, qui cuncta dat orbis.  
Seu reuocanda salus homini sit, siue tuenda,  
Omnibus ars valet illa locis, valet omnibus horis.  
Carnifex morbos, & atrocias fata repellens.  
Principibus placet ergo viris, mundiq; Monarchis  
Arte potens vir Apollinea, gnarusq; medendi.  
Legibus & medici parent, quibus omnia parent.  
Qui maria & terras frænant populosq; potentes,  
Subiiciunt Medicis se sponte salutis amore.  
Non hic Pætonios lubet enumerare magistros,  
Quos vel Sigismundi fouet inclyta regia tertij,  
Quos vel in Europeis alijs clarescere regnis,  
Et video & lætor. Mihi non indictus abibit,  
Non indonatus, ( quando me Pergama Vilnae  
Clara tñent) medicus quo gaudent Pergama Vilnae.  
Huius & ante alios, Benedictus Episcopus urbis,  
Woynarum decus, ac Lithauæ sacer vnio gentis,  
Gaudet eo, gaudetq; eius sœpè arte salubri.  
Nobilis Hectoreo Scotorum sanguine cretus,

Nempē Iacobus hic Arnottus cognomine dictus,  
Quem generosa domus genuit Wydmillia, fuit  
Maiorum virtus tenerisq; eduxit ab annis,  
Quem Clariæ artis amor doctrinarumq; cupidus,  
Et patriæ fines prædulcem & vtrumq; parentem  
Cognatamq; domum, mox pubescente sub æuo;  
Linquere, & immensum maris æquor arare coegit,  
Ergo Borussiacis superis Zephyrisq; secundis  
Tyro Camœnarum, peregrinus hic appulit oris,  
Passarides Musæ mox Brunoricumq; Lycæum  
Appulsum accipiunt docta pietate colendum  
Doctrinaq; pia, qua noxa & noxius error  
Mentis abactus erat patefactaq; pectora lucis,  
Hic sat in Aonia sudasset ut ille palæstra,  
More Periclae didicisset & ore sonare,  
Seu fando iaceret Latium, seu fulmen Achium,  
Has vt adaugeret grauioribus artibus artes  
Italiam petiit, sanctum caput orbis adiuit  
Pontificum augustam, Petro ab ipso principe sedem,  
Quos penes est animas Christo frænare dicatas  
Hic Sophiæ campos lustrauit amænaq; Tempe,  
Lustratus causas alta caligine mersas:  
Naturæ rimatus opes, penitosq; recessus:  
Vnde tot ingenij bona non moritura parauit,  
Tot doctrinarum gazas, quas vnda nec ignis

Conui-

Conuolare queant neq; compilarē latrones.  
His Latīs opibus ditatus & arte Sophorum,  
Tybride posthabito, Samogitica venit in arua.  
Quem, simul agnotit cano venerabilis æuo.  
Sacrorum antistes, quo non vigilantior alter.  
Nec virtute prior, Litaui stirps prima ducatus,  
Melchior, ille Gedrotiacæ lux clara propagis,  
Laus patriæ, columen regni, lumenq; Senacli,  
Portus egenorum, peregrinorumq; receptus,  
Accipiens in eum mentemq; animumq; paternum,  
Fouit, & hospitium mensamq; indulxit herilem,  
Arcanos solitus calamo eius credere sensus.  
Raræ animi dotes, morumq; probata venustas,  
Cunctanti dederant Herois amore potiri.  
Quantus amor! quæ munificentia Præfulis huius  
Vidit ut ingenium genitum ad maiora Iacobi,  
Non sine mente mea facit stimulantis vtrumq;  
Impensas illi numerans, Antenoris verbem  
Ac Pataui celebres proficisci suavit Athenas.  
Quas nuper largo Vilnæi Præfulis ære  
Alter ut arte mea catus instituatur adiuit  
Saxonæ Alcidæ quo non vel Apolline teste  
Patonides Italæ præstantior alter in oris.  
Hic modo gnauam operam dat Fabricioq; docente  
Quos o vos memorem, Litaui duo sidera coeli,

Pontis

Pontifices duo: tam tenere qui semper amastis  
Artium amatores, per quas Respublica floret:  
Vita quibus regitur, quibus altera vita paratur.  
Si quid Appolinea virtutis in arte, duobus  
Vobis haec Pylios vitam producet in annos.

Quamq; Arnottus habet medicarum industriarum,  
( Namq; potestates herbarum usumq; medendi  
Ille scit, & meruit doctorum insigne viuorum,  
Hercule Saxoniam caput impediente, coronam )  
Sollicite vestrum deseruiat omnis utriq;  
Neu quandoq; soli velit hic natalis amore,  
Linquere Sarmatiam Lituaniq; excederenturris.  
Effectum dabo, consilijs germana iuuabit,  
Scotia vt ex animis abeat, dabo loton edendam,  
Hic sibi Lethæum potasse videbitur amnem.  
Ni qua tibi via commodior ratione probetur,  
O soror, hic medicum remorandi in plurima lustra.  
Ne desit qui morbis fugas per calleat artes,  
Quiq; Machaonia flendos ope mulceat artus.  
Qui prælustregenus Fernæo a sanguine ducit,  
Hunc repetit genitrix, caro viduata marito  
Ioanne Arnotto, quem magnum heroa, Baronem  
A wydmill vita, ante diem, flet Scotia raptum.  
Wymsius hunc repetit: repetit Pitcairnius heros,  
Doctori Arnotto consanguinitate propinquus.

The se cis

The seis in eumq; animis & amore paterno  
Sex illum sociæ generis, generiq; sororum  
Nobilibus tædis thalamorum & fædere claris  
In patriam reuocant lacrymis, missisq; tabellis  
Flent desiderio suspiriaq; anxia ducunt.  
Fraterni reditus neq; mente fidelior ægra  
Sperauit lenti reditus Eumæus Vlyssis,  
Tot neq; vota suo soluit reor, Icaris vxor  
Pro tardè remorante viro, quod amara, tot annos  
Pro nato genitrix, pro fratre dedere sorores  
Vota, & inexpleto manantia flumina fletu;  
Cum domo Abircrumbeorum, generosa Baronum  
A Murthly domus hæc, autam dat quippe paternam  
Doctori Arnotto: secum in lamenta trahebant  
Omnem pænè Fifam, ditio celeberrima terræ,  
Si qua Caledoniae, Fifa, gente & sanguine floret  
Claro Arnottiadum: n mis indignatur ademptum  
Esse sibi hunc, æuumq; meas agitare per artes,  
Natali regione procul i rata pulchrius esse  
Hanc operam nauare suis, interq; Penates  
Mirari patrios, maiorum insignia gesta:  
Fortiaq; ausa sequi i charos & ad arma Nepotes  
Exemplis eccire suis: ut & ipse cieri  
Sat potuisset avi, proauumq; insignibus ausis,  
Robur huic animi, dat nomen habere Roberti

B

Quem,

Quem, quia nota fides, virtusq; probata, Monarcha  
Scotorum invictus, geminis dedit esse Toparcham  
Arcibus. Hunc memor arx Dymbarton, laude sub astrâ  
Percelebrans, extollit adhuc, memoratq; sub ipso  
Præside, perdomitos, pulsosq; à mœnibus hostes.  
Sterlinum pariter, tutamine Præsidis huius  
Ac valida, se defensam virtute satetur.  
Laudibus ex istis sibi nil fortuna, Roberto  
Omnia fert proauo, victam sese asserit vltro  
Hostibus euictis. Quid aut monumenta revoluam  
Cuius adhuc meminit Faclondum nobile, vires  
Sylua relaxandis animis regalibus apta,  
Cui præerat. Celebrat simul huius Martia corda,  
Quam regit assidua fautrix aspergine Tethys,  
Crellia, & Herculeum pectus mirata, sepulchro  
Condidit eximio: ceu prisca ab origine gentem,  
Arnottorum ea pñne omnem conseruat humatam,  
Ora super tumulis & fortia facta virorum  
Ostentans, ea subiq; monens æquare nepotes.  
At quia par opus est, nisi me sententia fallit,  
Profligare hostes & atroces pellere morbos,  
Immo' hoc maius opus: manibus quia scilicet hostes,  
Viribus ingenij morbi mortesq; domantur  
Degenerem arguerit nemom ihi jure Iacobum,  
Qui fortem hunc memorem, patrijs qui fortiter oris

Tam

Tam diuturnus abest, canæ pietatis & eius  
Relligionis amore prius quam Scotia semper,  
Expertem erroris, certamq; salutis, amarat,  
Quam prius Helueticæ noua scisciret orgia Sphyngis,  
Ditisatis gryphis, & inani ænigmate lusa.  
Sed non Propatrum mouit noua secta Iacobi  
Pontificem hunc florens regio Galuidia nouit  
Constanter tuitusq; pedum, bifidamq; coronam  
Romanamq; fidem, pronepos imitanda Iacobus  
Tanti exempla viri rara pietate sequutus.  
Dignus ob id Lituensis quem confoueamus in oris.  
O germana modum caussamq; effinge morandi.  
Tunc sic orsa Diana loqui, & vera fatebor,  
O germane, vir hic tam nostrum vtriusq; fauorem  
Quam cuiusq; boni, virtute, vel arte, meretur.  
Dignus quem secum regio Lituana moretur.  
Relligionis amor validissima caussa morarum,  
Sed quia non solis pietas & numina diuum  
Lituensis colitur, genus irresolubile vinclii  
Huic plectendum: alia relegatur compede, quanam?  
Hic rogat. Illa refert; qualem parat ipsa Proshymna,  
Et Cypris, & Cypridos fabricatur amata propago.  
Phœbus adhæc, soror, hoc equidem meditabar & ipsum.  
Sed quam sat dignam queat huic dare Vilna maritam?  
Mecum, ait illa, sit hic labor, hæc mea cura sit, hic me

B ij

Dignus

Dignus erat, fateor, sed ineluctabile votum  
Me sed in occidui iuuat, ut sit, cura pudoris.  
Faxo tamen, factumq; puta, lætetur ut ille,  
Arnottus tuus, ille cliens vxore Diana.  
Suspicit arridens hic ora, sororis Apollo,  
Mitte iocos, inquit, tum: me germane iocari,  
Reddidit illa, putas, me seria rere loquitam.  
Arnotto fungam propriamq; dicabo Dianam.  
Vnica Vilnensi reperitur in vrbe Diana.  
Nec formæ, nec stirpis egens, Genus illa paternum  
De Lithalo, maternum Italo de sanguine ducit.  
Quis Sienkiewicij, quis nomen in vrbe Moraris.  
Nesciat, Euganeos super Adriacumq; leonem  
Tam decantatum, super Vrsæ Erymanthidos astras.  
Nota fides vtriusq; domus, spectataq; virtus  
Per quam nobilitas & laus genuina paratur.  
Notaq; dexteritas parere & bona parta tueri.  
Natarum probitas decus horum insigne parentum.  
VIRGINEA & senior gaudet soror ANNA marito  
Pro numero. Charitum, thalami sine lege supersunt.  
Maxima quas inter magno socianda Iacobus.  
Iamq; fides, fideiq; index data dextera vtrinq;  
Se Ganymedæs tuus axis ut intulit astris.  
Versus Hyperboreum reflectens effeda mundum.  
Et rata pacta manent ritu firmanda iugali.

Solen-

Solenni<sup>q</sup> fide, sacra arā & flamine coram,  
Frater vbi quintam lucem reseraris lūnij  
Solennem lucem sacram Triadi<sup>q</sup> supremaz,  
Auspice quā ordiri lāti solet ominis esse.  
O properato dies lātissimus insit Apollo  
Est iuuenum primis Hymenæis Iunius aptus.  
Quam me sāpē latet, licet omnia pāne' videntem  
Quam me sāpē later latebris & in ossibus imis  
Incitus ignis amor<sup>q</sup> hominum, quo mutua corda  
Sufflammant & coniugij noua fædera iungunt  
Tum soror harum equidem fueram bene' conscientia rerum  
Ad nutus Erycinna meos & Cinxia Iuno  
Arnotto hanc sociant, præstanti corpore Nympham  
Hanc ego præ reliquis vt amauit ita & hocce marito  
Dignandam volui, hanc ego suauiter ipsa, solutā  
Matre, secundaui partam, ipsa soloq cadentem  
Excepi, fouiq̄ sinu, dēnomine nostro  
Nomen habere dedi, dixiq; vocere Diana;  
Cresce viro, quem frater amet pater eius Apollo,  
In quo stirpis honos & opima scientia certant.  
Non huic lacteolasue genas, vel eburnea colla  
Comere cessauit, non crinem tingere amomo  
Nec vanus labor; exiluit mihi dulcis imago,  
Suggestuq; comæ, frontisq; nitentis honore  
Villiadas premit ac præit hæc Diana puellas,

Quantum egomet vel Hamadriadas, vel Oreadas extor  
Huic morum probitas & gratia mixta pudori.  
Huius in ore Venus, prudenti in corde Minerua.  
Scilicet hæc operum tenuis studiosa Mineruæ,  
Obseruans vultus charæ, monitusq; parentis,  
Siue pñs velit illa operis impendere tempus,  
Siue ministerijs solitis domuiue gerendæ.  
Fortunate virum pacta qui coniuge tali  
Post aliquot victor luces Arnotte frueris.  
O properate dies Arnotto currite luges  
Phœbus ait, sit o hic fælix Hymenæus alumno  
Ipse meos spargam radios Lituana per arua  
Mitius, vt vireant, vt eat formosior annus  
Dum formosa meo Diana iuganda Iacobo.  
Flent blandi Zephyri : reprimat sua flamina Caurus  
Ne teneræ lædant nitidissima brachia sponsæ,  
Arboribus redeant frondes, & gramina campis.  
Ante roseta diem dent & violaria flores.  
Fronde noua domus vt decoretur & hostia sponsæ:  
Prata ferant herbas, frutices ferat hortus olentes.  
Fragret odorifero thalamus genialis anetho.  
Flore thorus vario, spargantur compita flore,  
Tempora flore nouo sponsæ comitumq; nitescant.  
Gaudeat ipse meam laurum subtexere myrto  
Sponsus, Acidalea, Quacunq; vel ipse vel ipsa.

Fert

Sert noua nupta gradum, rosa sit, roseumque prematur.  
Iamque videre diem videor, qui conditus albo  
Vellere Parcarum, sacer his tantis Hymenæis,  
Irradiabit huic longè lætissimus vrbi,  
Conuentu procerum eelèberrimus. Vndiq; cerno  
Compita compleri, ruere vndiq; Vatis ad ædem.  
Conspicor agniferæ tantæ ad spectacula pompæ,  
Nobile coniugum vbi par arcto adamante ligatur.  
En vocat æthereum supplex Symphonia flamen.  
Ductilibusq; tubis, fidibusq; remista canoris,  
Organicisq; modis; vox assonat omnibus vna.  
JACOBVM ARNOTTVM SIENKIEWICIAMQ; DIANAM  
IVNGAT IN ABRVPTIS concordia LONGA CATHENIS.  
Vix ea Phœbus, vbi excepit viridario in imo  
Nympharum chorus, huic modulos præeunte Diana.

### M E L O S N Y M P H A R V M.

Dianam Charites dicite nobilem,  
Arnottum iuuenes dicite nobilem.

Casta est illa Dianæ,  
Hic dilectus Apollini.

Vos gratam labijs, fronte, genis, coma,  
Addictamq; sacris ac timidam Dei:

Cuncti exemplar honesti:

Ad sceptrum genitam domus.

Vos


Vos vates totidem tollite laudibus  
Formam artemq; nitet, qua vir Apollinis,  
Insignemq; Baronum  
Scotorum celebri satu  
Æuum prooget his poscite Cinthium,  
Vivant Pæoniæ non opis indigi,  
Multæ prole secundet  
His Phæbi soror obstetrix.  
Morborum nocuas hic vir Erynnias  
Pestemq; à populo, & principibus virtis  
Pulsas Orcadas vltra  
Vestriss motus aget choris,

ODARION AD S.S. TRINITATEM.  
S Vmme rex author thalami iugalis,  
Iunij nonæ tibi luce festa  
Thus nouant, ac te, Deus o triforinis  
Auspice iungunt.  
Nobili Arnotto placidam Dianam  
Sint o hæc faxis sacra Nuptiarum  
Ominis fausti, facili & secundes  
Ora fauore.




Patricius Abircrumbeus  
Scotus.

8107  
23



2.

8107  
23



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1  
62-002 Suchy Las

[www.digital-center.pl](http://www.digital-center.pl)  
[biuro@digital-center.pl](mailto:biuro@digital-center.pl)  
tel./fax (0-61) 665 82 72  
tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance  
and broadcasting of the whole or fragments prohibited.